

**www.e-rara.ch**

**Roberti Bellarmini Politiani S. R. E. Cardinalis Solida Christianæ Fidei  
Demonstratio**

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo**

**Antverpiæ, M. DC. XI.**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-149054>

Caput octavum. De nomine clerici, & laici.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

propter dissidium circa intagines se ab Ecclesia Rom. separauerunt, semper indies deterius se habuisse, donec tandem Imperium penitus amiserunt. In Occidente verò ex Latinorum historijs manifestè colligitur, semper Imp. magis, vel minùs floruisse, vt magis, vel minùs Rom. Ecclesiæ addicti fuerunt.

Tempore Vr bani II. ad annum Domini M. XCVIII. Christiani in bello sacro à Papa indicto pro recuperatione Hierosolymæ, cum essent Antiochia in summa desperatione, eò quod propè adesset infinitus exercitus Turcarum, & Persarum, & ipsi pauci essent, & diuturna fame prope euecti, ita vt etiam viri fortissimi baculis innixi incederent; nec equos haberent, nisi paucissimos, ita vt præcipuus Princeps Godefredus equo commodato vteretur, & multi Principes in asinis equitare cogerentur. Tandem Deus reuelauit, vbi esset lancea, & ea prælata in bello victoriam dedit, ita vt occiderint centum millia Turcarum, & ex ipsis vix quatuor millia ceciderint. Cecidit etiam ros diuinitus in illos, quæ animis, & corporibus vires addidit. Denique, apparuerunt tres viri sancti pro illis de cælo pugnantes. Tempore Innocentij III. in Gallia ab octo millibus Catholicorum cesa sunt vno prælio centum millia Albigenfium hereticorum.

Nostris temporibus anno M. D. XXXI. quinque prælia commiserunt pro fide Catholici Heluetij cum hereticis Heluetijs, & semper Catholici vicerunt, cum tamen essent numero, & armis multo inferiores. Carolus V. victoriam retulit de Lutheranis anno M. D. XLVII. miraculo diuino. In Gallia quoque, & Belgio multas victorias Catholici de hereticis non sine miraculo reportarunt: immò vix vnquam fuerunt heretici superiores, quando iusto prælio dimicatum est.

## CAPVT OCTAVVM.

### De nomine Clerici, & Laici.

QV ID hæc nomina sibi velint, nemini dubium esse puto. Tamen enim Græcam originem habeant, tamen trita sunt, ac peruulgata. Quis enim ignorat idem esse λαόν Græcis, quod populum Latinis? Idem illis κληρον, quod sortem, siue hereditatem nobis? Inde igitur laici dicti sunt, quasi plebei, & populares, quibus nulla pars functionis Ecclesiasticæ demandata est: Clerici autem quasi Domini fors, & hereditas, qui diuino cultui consecrati, procuranda religionis, ac rerum sacrarum, Deo ipse iubente, prouidentiam, ac felicitudinem susceperunt.

Cur autem hæreditas sortis nomine appelletur, illa ratio reddi solet, quòd hæreditas in plures plerumque sorte diuidatur. Vnde illud: *Sorte diuisit illis terram* P sal. 77. *in funiculo distributionis.* Accedit, quòd licet ad vnũ aliquẽ hereditas tota perueniat, id tamen non electione, sed sorte fit: nascuntur enim, vt plurimum, non sũt heredes. Quis autẽ laborauit, quis operã dedit, vt huius potius, quã illius

Coloss. 1.  
Ephes. 1.

filius nasceretur, & hæres? Atque huc Apostolus Paulus respexit, cum ait: *Dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum.* Et rursus: *In quo nos sorte vocati sumus.* Non quod (vt Lutherani volunt) æterna beatitudo nullis meritis acquiratur, sed quod ad gratiam, & adoptionem filiorum Dei, sine vlllo opere nostro vocemur. Falluntur enim Pelagiani, qui priores partes homini; posteriores vero Deo tribuunt in conuersione, ac pœnitentia peccatoris. Quomodo enim sorte vocamur, si nos ipsi Deum vlllo nostro vel opere, vel conatu præuenimus? Nemo igitur gratiã inuocat, nisi præuentus à gratia; nemo elegit Deum, nisi prius electus à Deo; nemo diligit, nisi prius dilectus, auersos ille conuertit, errantes reuocat, inuenitur à non quærentibus, palam apparet non interrogantibus: quia tamen, quod nobis fors est, Deo prouidentia, & prædestinatio est, propterea Apostolus sapienter iungit vtrumque cum ait: *In quo nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum voluntatis eius.*

Quæst.

Hinc iam prima inter nos, & hæreticos quæstio nascitur; *Rectène, an secus, quidam inter Christianos Clerici, quidam Laici nominentur?*

Resp.

Prob.

Resp. Hæc appellatio deprompta ex diuinis litteris, in ore omnium Conciliorum, omnium Patrum, totius Ecclesiæ, orbis terrarum vniuersi, omnibus ætatibus, ac sæculis fuit. Et quidem, si de Conciliorum decretis, & SS. Patrum voluminibus agitur, non tam quærendum est, vbi Clericorum, & Laicorum nomen, & distinctio habeatur, quàm vbi non habeatur, ita passim in singulis propè paginis, tum Patrum, tum Conciliorum veterum, appellatio illa occurrit. Sanè in Concilio Nicæno I. œcumenico, vetustissimo, frequentissimo, celeberrimo, appellatio Clericorum in singulis ferè canonibus inculcatur. Quid, quod in ipsis etiam Apostolorum canonibus à S. Clemente descriptis, distinctio, & nomen clericorum, Laicorum, non semel legitur?

Ierem. 12.

Quod si verbum Dei requiras, apud Ieremiam ita Spiritus sanctus loquitur: *Clericorum non proderunt eis.* Testes huius rei habemus omni exceptione maiores, Origenem, Epiphanium, Hieronymum, qui nō modò Script. diligentissimi tractatores fuerunt, sed etiam penè soli inter omnes Ecclesiæ Patres Hebraicæ linguæ, quâ Ieremiæ volumen scriptum esse constat, scientiam habuerunt.

Num. 16.

Accedat postremò Dei ipsius grauisimum testimonium, non solum verbo prolatum, sed etiam horribili quodam prodigio, quasi sigillo proprio consignatum. Quod enim hoc tempore Lutherus, & Calvinus aduersus Clericos clamant, idem olim Dathan, & Abyron aduersus Sacerdotes Testamenti veteris clamabant. *Sufficiat vobis, aiebant, quod omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus, cur eleuamini super pop. Domini?* At qualem exitum reperit illa contentio veterum scismaticorum? Acerbum omnino, & luctuosum: siquidem continuò ad imperium Domini, qui scismata, & seditiones aduersus ministros suos ferre non potest, *dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum vxoribus, cum liberis, cum tabernaculis, cunctisque opibus, descenderuntque viui in infernum, aperti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Hæc videlicet poena iustissima est illorum, qui diuersos in Ecclesiâ gradus, ordinemque pulcherrimum ab ipsa Dei sapientia constitutum confundere, ac

per-

perturbare nituntur, vt ad ea inferorum detrudantur loca, vbi vmbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

## CAPVT NONVM.

## De institutione Ministrorum Ecclesiæ.

**P**RAEMITTENDVM est, appellatione creationis Episc. tria contineri: *Nota 1.*  
 Electionem, Ordinationem, & Vocationem, seu Misionem. Electio nihil aliud est, quam designatio certæ personæ ad Ecclesiasticam præfecturam. Ordinatio sacra cæremonia est, qua certo ritu futurus Episcopus inungitur, & consecratur. Misiõ, seu vocatio iurisdictionem tribuit, ac reipsa Pastorẽ, & Præsulem facit.

Existit igitur inter nos, & aduersarios controuersia, cui potissimum ius sit in Ecclesia Episc. creandi, id est, eligendi, vocandi, atque initiandi.

Rursus, obseruandum electionem multis, ac varijs modis fieri posse. Nam *Nota 2.*  
 aut Deus solus eligit; quomodo Aaron, & Petrus fuerunt electi: aut Deus per homines. Cùm autem per homines Deus eligit, aut id facit naturali propagatione; quomodo filij Aaron, & nepotes olim ad sacerdotium proueniebant: aut certè voluntaria electione. Et hoc aut vnus electione; sicut Clemens à Petro electus dicitur; aut plurium. Si plurium, aut populi, aut cleri, aut vtriusque. Sit igitur prima nostra propositio.

*Ordinatio tum Episc. tum aliorum Ecclesiæ ministrorum, non ad plebem, sed ad solos* *Propos. 1.*  
 Episc. pertinet. Testantur id passim diuinæ Script. testantur decreta Conciliorum: testantur veteres Patres: testantur denique mos pop. Dei, & exempla *Prob. Louit. 8.*  
 maiorum. Aaronem, & filios eius, Sacerdotes primos Testam. veteris, solus Moyses Sacerdos, & Pont. ordinauit, & consecrauit. Moysen autem Sacerdotem fuisse testatur Dauid: *Moyse, & Aaron in Sacerdotibus eius: & Patres. In Psal. 98.*  
 Testam. nouo, vbi cunq; mentio fit manus impositionis, quo ritu etiam apud aduersarios celebratur ordinatio, semper ea Apostolis, cæterisque Episcopis, nunquam verò plebi tribuitur. Soli Apostoli per manus impositionem Diaconos ordinarunt. Et Apostolus: *Nolite negligere, inquit, gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterij. Quo loco presbyterium Episc. cœtum significare, testantur omnes fere interpretes, ac præsertim Græci, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus. Item, in eodem loco loquitur Apostolus: Manus citò nemini imposueris. &c. At rursus: Resuscites,* *Act. 6. 1. Tim. 4. 1. Tim. 5. 2. Tim. 1.*  
 inquit, *gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum.*

Accedat antiquissima, ac perpetua Ecclesiæ consuetudo, quæ optima iuris interpret esse solet. Nam à seculo non est auditum, vt Episcopum non Episcopus ordinaret: neque huiusce rei vllum vnquam vel institutum ex discipli-